



Regula Sancti Patris Benedicti

Benedikt <Montecassino, Abt, Heiliger>

Moguntiae, 1604

XXVI. De ijs sine iuſſione Abbatis, iunguntur excommunicatos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64533)

De ijs qui sine iussione Abbatis iunguntur excommunicatis. CAP. XXVI.

SI quis Frater præsumpserit sine iussione Abbatis Fratri excommunicatio quolibet modo se iungere, aut loqui cum eo, vel mandatum ei dirigere, similem sortiatur excommunicationis vindictam.

Qualiter debeat esse sollicitus Abbas circa excommunicatos CAP. XXVII.

OMni sollicitudine curã gerat Abbas circa delinquentes Fratres: quia non est opus sanis Medicus, sed male habentibus. Et ideo vti debet omni modo, vt sapiens Medicus immittere quasi occultos consolatores Seniperas, id est Seniores sapientes Fratres, qui quasi secretè consolentur Fratrem fluctuantem, & prouocent eum ad humilitatis satisfactionem: Et consolentur eum ne abundantio i tristitia absorbeat: Sed sicut ait apostolus, Confirmetur in eo charitas, & oretur pro eo ab omnibus. Magnopere enim debet sollicitudinem gerere Abbas circa delinquentes Fratres: & omni sagacitate, & industria curare, ne aliquam de ouibus sibi creditis perdat. Nouerit enim se infirmarum curam suscepisse animarum, non super sanas tyrannidem: & metuet Prophetæ comminationem, per quem dicit Deus. Quod crassum videbatis assumebatis: & quod debile erat proiiciebatis. Et pastoris boni pium imitetur

Matth. 9.

2. Cor. 2.

Ezech. 34.

exem-